

## POËMATUM MEDICORUM.

## V.

EQUO PERCUSSUS; VEL FEBRIS SEMI-  
TERTIANA.

§. 1. **V**ulnera gemebunda mi patiens cane anime, morbumque perniciosum & dolores, quos hoc anno perpessus sum, die octavo mensis medii Augusti, quando festinus equus ad sinistram pectoris partem calcibus me feriit eum ascensurum, pro re necessaria, tempore pomeridiano, sole occidente, qui alias quamvis mansuetus fuerat, ob servi tamen equisonis imprudentiam perniciosam, punctioibus pessimis duriter semper illum irritantis, terribiliter tunc saltans, ferocem calcem supra mamillam sinistram movit, vi vero ad murum a dextris adjacentem me prostravit; murus autem lapideus caput meum & humerum, utraque dextra appropinquata faucivavit, protinusque sanguis ater ex capite percusso fluebat, oculos vero meos caligo obtegit. Ut autem quando venator juvenis montivagus agrestem cervam in medio pectore attingens; in quo cava cordis & pulmonis sedes est, sagitta e nervo jaculatur; illa vero graviter percussa cadit; anima autem e membris ejus avolat, illaque subito parum adhuc palpitans, pedes veloces, cervicem, & caput extendit;